

*Pratensi et Granvellæ mandaverat Cæsar ut Valdesii dialogum de capta Roma examinarent. Caballero, Conquenses illustres, IV, p. 433. Caballero vertit: el doctor de Praet. Hic est Louis de Flandre, s. r de Praet, quem Cæsar vere anni 1529 Romam misit unde litteras scripsit quas edidit Lanz in Correspondenz des Kaisers Karl V, Erster Band, p. 318 sq.*

S. Ita ne tuis me subinde deliciis onerabis, mi Dantisce, epigrammatis epigrammata, et carmina carminibus addens quæ non secus ab istoc pectore quam a montibus fluunt flumina. Emoriar ni id ipsum quod scribis de Cætone nostro mihi persuaseram, tam (1) est mihi notum hominis ingenium nimium ni fallor agreste, sed ne tu nimium prodigus es qui tuas delicias sic effundas, vel, si dicere fas est, stultus qui margaritas proicias porcis. Litteræ quas a me petiisti confectæ sunt, curabimus ut subscribantur a Cæsare. Si veneris gaudebimus tuo adventu, sin autem ego ad te ibo. Vale.

Tuus Valdesius.

*Sigillum cereum rubrum.*

S. Abegimus Pratensem, jam mihi paululum respirare licet, nam his totis diebus ne respiravi quidem. Cum mihi epistolium simul cum epigrammate tuum reddit Hach, sedebam in prandio cum Cancellario. Cum epistolium lego in quo mones ut epigramma boni consulam, obstupui. Quasi nescires nihil me posse non boni consulere quod ex te proficiscatur. Cum autem ad epigramma venio, vix, ita me Deus amet, a risu temperare potui ubi vidi me ex Valdesio Lalemantum effectum cui os et clauditur et reseratur offis. Vale.

Mitto litteras Cæsaris ad te, aliæ autem pro tuo Barensi nondum subscriptæ sunt a Cæsare. Iterum vale. Tuus  
Valdesius.

*Sigillum cereum rubrum.*

(1) *Apographum tum.*

S. Habiturus es hospites cras in prandio Nicolaum Perrenotum, Bartholomæum Gattinarium, officialem Gebennensem et cum his Valdesium tuum, ne dicas tibi non prædictum. Vale.

Sed heus tu vide dicas convivis insperatos eos advenire, sic enim constitutum est inter eos (1), volui tamen te admonere ne aliquo forsitan ires nosque in re tanti momenti deciperes. Iterum vale.

*Sigillum cereum rubrum.*

S. p. Collegam tuum meis litteris vacuum ad te venire nolui. Nos hic tui rectissime valemus omnes præter unum Joannem Oberemburgensem (2) qui parum abfuit quin Stygiam paludem navigarit, servavit tamen nobis bonum juvenem divina bonitas. Periere nonnulli eodem morbo, Cortesius adhuc periclitatur et haud scio utrum illi magis expediat morine an vivere, ut nunc quidem res humanæ reguntur. Cæsar in sua sententia perstat, quid futurum sit Deus ipse novit. Pontifex Romanus pugnabat cum morte atque ægre sustinebat conflictum; uter eorum vicerit, incertum. Agebatur jam Romæ de novo Pontifice designando. Allegabant Galli suspectam Romam ob vicina Cæsaris arma. Dumque illi tumultuantur, nos, quibus in hoc mundi theatro spectatoris munus a superis datum est, fabulæ exitum expectabimus. Vale.

Toleti cal. Februarii 1529. Tuus Valdesius.

*Sigillum cereum.*

*In dorso:* Clarissimo viro D. Joanni Dantisco Ser.<sup>mi</sup> Regis Poloniæ oratori.

*Manu Dantisci:* Dat. Toleti 1 Febr., red. Vald. (3) 8 ejusdem.

(1) eos deest in *apographo*.

(2) *Scriba cancellariæ imperialis. Caballero, Conquenses illustres, IV, p. 309.*

(3) *i. e. Valladolid.*

*Respondet litteris Dantisci 1 Febr. datis. Caballero, Conquenses illustres, t. IV, p. 408 sq.*

S. p. Non est cur neque ego apud te neque tu vicissim apud me pluribus verbis utamur, cum nota explorataque utrique nostrum sit mutua hæc inter nos benevolentia vel potius mea in te pietas, quam si, ut animo concepì, ita aut verbis exprimere aut operibus comprobare daretur, sat scio diceres spe tua te aut opinione minime frustratum esse. Quam mihi fuerint tuæ litteræ gratissimæ, quid opus est dicere cum tibi compertum sit quo affectu tua omnia ego exosculor suspiciamque.

De Lalemanto nihil est quod ulterius ad te scribam. O quam alte exclamares si, quæ hic passim videmus, tu quoque cerneres. Habet pestis illa qui illi patrocinari audeant quosque illum defendere non pudeat, et tamen sese hi nobis ut semideos venditant. Sed quid facias? Ita majores nostri vixerunt, ita nobis vivendum est; hanc orbis miseriam cæcitatemque ferre coacti sunt, ea nobis velimus nolimus toleranda est. Non dubito patronos ejusdem farinæ esse, sed, quia ejusdem farinæ sunt, neque illi neque ulli mortalium bene volunt nisi sibi ipsis, neque patrocinantur Lalemanto, sed propria scelera in Lalemanti causa tuentur. Hominem evasurum arbitror, non tamen in aulam Cæsaris deinceps admittetur etiamsi evaserit, id enim Cæsari decretum est. Quod in eum scripsisti fuit certe et Cancellario et amicis omnibus gratissimum, est enim et lepidum et argutum et tali viro dignum. Cetera quæ polliceris, avidissime expecto. Gravissimus mei Joannis morbus effecit ut neque dialogum de capta urbe neque rationem singularis certaminis ad te mittere possim, nam alium amanuensem suis duellis occupavit Cancellarius. Dolet me quod tuum judicium ea in re habere nequeo, sed nihil fortassis horum exhibit quousque iterum venias ad nos. Vides quam æquissimus fuerit optimus Deus mei dialogi vindex, qui Lalemantum in carcerem trusit et Nuntium Pontificis repentina morte rapuit ut ne rebus quidem suis disponere quiverit. Hæc sunt Dei judicia, sic solent pœ-

nas dare qui peccantes in Spiritum sanctum contradicunt veritati. Fabula Oxomensis nos plurimum exhilaravit, sed ea ego a Pasquillo expecto.

Vix crederes quam fuerint Cancellario tuæ litteræ jucundissimæ, qui cum ad te rescribat, nolo ego de illius in te animo plura commemorare. Quæ in tuo privilegio addi voluisti, libentissime admisit; si quid præterea desiderabis scribito; nullus est qui facilius quidvis a nobis impetret quam tu idque tuo merito. Mittimus itaque privilegium, mittimus et litteras Cæsaris ad Regem tuum, neque antea mitti potuerunt. Alfonsus ille Viruesius quem te audire dicis contionantem est mihi amicissimus et, si recte memini, sæpius de eo sermonem tecum habui, scripsit enim olim nescio quas nugas ad Erasmum quibus homunculum concitavit, mea tamen opera reditum est in gratiam. Multa sunt quæ in homine merito placent, sed et alia quæ jure displicent; quod dat accipimus, cetera devoramus, ita vivendum est.

Hic quoque rumor erat Cæsarem iturum Granatam, falso tamen, nam die primo Martii hinc discedet, apud Montem Serratam celebraturus pascha, indeque sub initium Maji navim ascensurus et Italiam versus, si Deus concesserit, navigaturus; ita decretum est.

De monacho prægnante nihil aliud scio quam illum hermaphroditum esse jamque septimo mense fetum gestare. Ego certe non tantum admiror factum, sed qui fieri potuit ut inter tot distentos monachos concipere potuerit aut cur eadem opera non concipiunt meretrices, neque enim credendum est, in tali officina segniorem operam illum aut si mavis illam navasse.

Cum hæc scriberem deprehendit me Dominus Perrenotus, legit tuas litteras, risimus sardonium ut ajunt risum, jussit ut ejus nomine plurimam tibi salutem dicerem, tametsi de eo nulla sit tuis in litteris mentio. Idem petiit D. Bartholomæus et quidem officiose admodum, est enim totus tuus cum toto amicorum collegio. Hieronymus a Ranzo, Georgius qui nuper venit ex Italia et Jacobus a

Gattinaria Cancellarii nepotes, Officialis Gebennensis A. Longus te plurimum salvere jubent. Marlianus uti pollicitus est scribet. Noster Suarez (1) te toties salvere vult quot mendacia sunt in Marco Aurelio. Isidi (2) cum prole meis verbis salutem dices. Vale.

Toleti XIII Februarii 1529. Tuus Valdesius.

*In dorso:* Clarissimo viro D. Joanni Dantisco Ser.<sup>mi</sup> Regis Poloniae oratori &c.

*Manu Dantisci:* Dat. Toleti 14 Feb., red. in Valdol. 18 ejusdem.

S. Memor te mihi praecepisse ut Lactantium meum de capta ac direpta Roma castigatum ad te mitterem meque facturum recepisse, ut fidem meam absolvam libellum ad te mitto. Agnosces vere hypocritam, exterius enim non nisi deaurata omnia inspicias ut magnum aliquid tibi pollicearis, quod si Silenum excusseris nascetur ridiculus mus. Tu tamen, qui mea omnia amico animo et legis et accipis, audaciam meam boni consules. Vale. Tuus Valdesius.

1529.

S. Non misissem ad te historiam meam nisi tuum ex meo metissem animum, et eo animo misi ut quo plura in ea immutata invenero, eo erit mihi officium gratius. Tu cum commoditate tua id facito, et quamprimum absolutum erit ad me mittito. Hoc unum te rogo ut secreto apud te serves quousque ad Pontificem eat, postea enim typis excudetur. Vale.

1529. Tuus Valdesius.

*Scripserat Dantiscus Valdesio Valleoleti 1 Febr. 1529:* Illa etiam quæ Latine de hoc certamine seu monomachia jam pæne oblitterata conscripsisti ob veritatem historiae et actum illum ultimum cum fetiali Cæsaris in Gallia ha-

(1) Fortasse Cristóbal Suárez, Pagador del Consejo. Cf. *Conquenses illustres*, IV, p. 320-21.

(2) *Apographum*: Isidem.

bitum mihi da cum primis. Non possum satis mirari cur typis non excuderentur cum vernacula vestra adeo omnia ad longum sunt expressa. Caballero, *Conquenses illustres*, IV, p. 409.—18 Maji 1529 scribit rex Ferdinandus ad Cæsarem: j'ai reçu un cahier ou est contenu tout le demene du combat dentre votre ma.<sup>te</sup> et le roi de France. Correspondenz ed. Lanz, I, p. 299.

S. Pasquillum cum apud me retinui, eam ipsam legem, quam tu mihi præscribis, ipsemet mihi præsripsi nec ausus sum exemplum sumere te inconsulto, nunc autem, cum tu ipse id mihi permiseris, describam et ad te quamprimum mittam, et ea lege describam ut nec mihi nec tibi noceat, sum enim ejus animi ut non minus mihi cara sit tua quam mea existimatio, quod, si tibi nondum persuasum esse crederem, pluribus inculcarem. Vale.

Tuus Valdesius.

*Dantiscus Valdesio, 1 Febr. 1529:* Pasquillum et alia, cum Hispania mihi reliquenda est, accipies, sunt enim adhuc in massa, nondum satis incudem experta. Caballero, *Conquenses illustres*, IV, p. 409.

S. p. Viden quam mihi tragœdiam excitaris cum tuo Pasquillo. Volitavit ille per totam Hispaniam, multorumque litteris obruor quasi domi habeam Pasquillum. Tuum nunc erit pro me patronum agere, quod si præstiteris, et mihi rem gratissimam facies et te ab invidia liberabis; sin minus, omnes, quotquot venerint, ad te remittam. Est nobilis quidam pro Hispanorum captu eruditionis non asperandæ, nec minus genere illustris, utpote duci del Infantazgo sanguine conjunctissimus; is cum superioribus annis heroicis versibus ediderit talichristiam (1), audiens nunc Pasquillum apud me diversari, hanc quam vides epistolam ad me dedit, quam hac lege ad te mitto ut meo nomine ad eam respondeas. Vale.

(1) talichristiam *apographum*.

Vides quid bonus ille poeta vereatur. Responde, rogo, et cito, nam tabellarius hac nocte responsionem expectat. Iterum vale.

Tuus Valdesius.

Salvum te advenire gaudeo. Cæsar in sua sententia eundi ad Italiam tanta constantia perstat ut, si deessent naves, natationi se commissurus sit potius quam ab itinere alio divertat. Sed de his latius cras, nam in præsentia plura scribere non vacat. Cæsar cras hinc abibit, nos die Mercurii sequemur. Cancellarius longe melius valet. Tu quoque vale.

Tuus Valdesius.

*In dorso:* Clarissimo viro D. Joanni Dantisco Ser.<sup>mi</sup> Regis Poloniae oratori.

*Manu Dantisci:* Dat. ex Cæsaraugusta 18 Aprilis 1529. Red. in Otheno 19 ejusdem.

S. Admittimus justissimam tuam excusationem. Veniam ego ad te si tamen commode potero, sin autem, me tu vicissim excusatum habebis. Non opus est ut Levicius ad me veniat, ego rem ita expediam ut intelligas adesse Valdesium. Vale.

Tuus Valdesius.

S. Doleo te adeo officiosum ut me domi convenire voveris et me adeo infelicem quod domi nequaquam offenderis. Negotium tuum non potest tibi magis curæ esse quam mihi, sed tu, si me amas, quemvis potius e famulis tuis ad me mittis quam Levicius cuius me mirum in modum offendit superstitio. Si quid erit in quo tua opera opus sit, te monebo, interea permittito me negotiari et desine toties me cum tuis debitoribus obtundere. Vale.

Tuus Valdesius.

*In dorso alia manu:* Dat. Mantuæ 9 April. 1530.

S. En tibi mitto petitiones Ser.<sup>mæ</sup> Reginæ quas Mantuæ decretavimus, mitto formam litterarum expediendarum, mitto litteras Pontificis (1) ad dilectum filium &c., mitto Thomasium egregie virgis cæsum, mitto rationem rerum in hac urbe gestarum cum Lutheranis quam precor ut una cum D. Cornelio si adfuerit legas et quicquid delendum immutandum addendumve judicabis deleas immutes et addas. Scis quam parum meo et quam multum tuo iudicio tribuam neque immerito. Vale. Tuus

Valdesius.

*Augustæ 1530.*

S. Sapis si cum his hominibus de pretio convenire vis antequam eorum domos intres, nam quod jure eis debetur parum est, quod tua ipsis liberalitate donare soles multum, quo fit ut quicquid eis præter spem dederis, id putabunt esse lucri, et beneficii loco adnumerabunt. Cæsar per hoc sacrum tempus apud Grunendalos (monachi sunt prope Bruxellas) manere vult, et rursus peracto paschate huc redire (2) ubi nos ejus adventum præstolabimur. Cum Scipione (3) nihil hactenus egimus. Neque de Ungaria neque de Turcis novi quicquam habemus quod sciam nisi quod ex Italia scribunt apparatus maritimos non tam formidabiles esse uti prius fama pertulerat.

Rescripsit ad me Locumtenens Summaria Neapolis per Serenissimam Reginam stare quominus causa Montis Serici absoluta sit, veluti ex incluso litterarum suarum articulo videbis; hoc ipsum scripsit et Sigismundus Loffredus (4). Vestrum nunc erit sollicitare et instare ut expediatur. Vale.

Gandavi penultimo Martii. Tuus Valdesius.

(1) 27 Nov. datas, apud Lanziū l. c., p. 406 sq.

(2) MS: reddere.

(3) Sc. de Summa. Cf. Acta Tomic.

(4) Cf. ibid.

*In dorso:* Clarissimo viro D. Joanni Dantisco Serenissimi Regis Poloniæ apud Cæsarem oratori.

*Alia manu:* Dat. Gandavi 30 Martii 1531, rec. Antuerpii ultima.

S. Litterarum exemplum ut jubes mitto, litterae ipsæ nondum sunt subscriptæ, eas tamen habebis hodie una cum privilegiis absque taxa. Balanson tantum attulit, Regem Gallum ægritudinis matris causa ad conventum venire non posse, sed propterea non venit quod Cæsar sibi certas leges ei parum gratas præscripserat et inter alias ne ulla mentio de innovatione articulorum fœderis Cameracensis fieret. Cæsar omnino Spiram veniet; ajunt ante octo dies hinc discessurum, quod ego neque ante quindecim crederem ni Regem Romanum nimium urgere viderem. Vale. Tuus Valdesius.

*Bruxellis in fine Sept. 1531.*

*Cf. epistolas Cæsaris ad Ferdinandum Regem 26 et 28 Sept. datas. Correspondenz des Kaisers Karl V, hrsg. von Lanz, I. Bd., p. 540 sg.*

S. Dñus Granvella libenter videret meum simulacrum ut, si placeret ei, per eundem pictorem suum quoque depingi faceret; si extrema manus imposita est fac obsecro ut habeamus. Ceterum historicum tuum Sycophantam perlectum ad te mitto. Tu vicissim Genesisii (1) libellum ad me mittito ut eum litteris meis ad Erasmum adjungere possim. Vale. Tuus Valdesius.

*Sigillum cereum rubrum.*

S. Non rescripsi hodie quod essem occupatissimus et

(1) *Apographum Gniesii. Indicat opinor Genesisium Sepulveda qui VII. cal. Sept. dicit se libellum a se scriptum Joanni Valdesio dedisse mittendum ad fratrem Alfonsum. Hic respondens Bruxellis mense Octobre 1531 lucubrationes illas se accepisse scribit. Caballero, Conquenses illustres, IV, p. 449, 461.*

nihil præterea quod rescriberem erat nisi tuam istam impatientiam et suspiciones objurgarem. Quasi nescias quonam pacto negotia apud nos conficiantur aut quasi non id ex me plus millies audieris, ita te crucias et parvam moram sustinere non potes. Vides Cæsarem negotia sua privata negligere, quod aversa valetudine gravatus his vacare non potest, et tu vis ut tuis tantum incumbat. Si videres aliquod aliud negotium confectum et tuum negligi, posses tunc nobiscum tuo jure expostulare, sed cum plane videas nihil hic prorsus cum Cæsare absolvi posse, cur non patienter expectabis dum aut Cæsar ab eo morbo levatus negotiis vacare possit aut alio pacto ea confici jubeat. Ego certe, ut ingenue fatear, nunquam credidissem te adeo impatientem et a ratione alienum ut hæc non perperderes. Ignosce quæso quod libere adeo tecum agam, nosti quonam hæc animo fiant. Simulacrum placet et aliud ad te mittam ut ad eum modum corrigi facias. Dñs Granvella rogat te plurimum ut pictorem ad eum mittas cras mane hora quinta. Vale. Tuus Valdesius.

*Sigillum cereum rubrum.*

S. Quod Cæsarem sis allocutus vehementer gaudeo, nunc dabimus operam ut negotia recte absolvantur, et ita fiet ut te non pæniteat quod meum consilium sis secutus. Ceterum misisti ad me rem omnium mihi gratissimam, Campensis psalterium (1) pro quo maximam tibi gratiam habeo. Et cras mane hora circiter decima vel ante ad te veniam ut tu quæ mecum conferre optas conferas, ego autem meum desiderium videndo duos viros eruditissimos expleam et pictori nostro satisfaciam. Interim vale. Tuus Valdesius.

*Ratisponæ 1532.*

*Sigillum cereum rubrum.*

(1) Psalmorum iuxta Hebraicam veritatem paraphrastica interpretatio, auctore Joanne Campensi. R. D. Joanni Dantisco Episcopo Colmensi &c dedicata. *Cum Epistola nuncupatoria ad Dantiscum, Norimbergæ 3 Maij 1532.*

S. p. Nisi manum et anulum tuum agnovissem in his litteris quas familiaribus illustrissimi domini comitis in Tarnow ad me dedisti, nomen profecto quod a te omis- sum est cognoscere non poteram, et quamquam sero illæ ad me perlatae sunt, fuerunt tamen ut tuæ omnes solent jucundissimæ. Et officium quod a me in his postulabas cum his, qui equos ad Cæsarem attulerunt, libentissime simul ac diligentissime præstiti, quod ipsi testari poterunt; effeci præterea ne non donati abirent. Quamquam in his angustiis res nostræ versantur ut pecuniam profundere non valeamus, existimo tamen eos contentos abire, intel- lxisseque te, licet absentem, plurimum apud nos posse, id quod in rebus omnibus dabo operam ut omnes intelli- gant. Ceterum non possum non tecum expostulare quod ad oratorem Gallum scribens mei adeo fueris oblitus ut nec te valere, quod me vehementer optare satis persua- sum habes, scribere volueris. Ego vero ad te bis scripsi, primum per eum nobilem quem pro negotio Prussiæ hic dimisisti, et deinde per Eingher (1) nostrum qui litteras meas tabellario recta istuc proficiscenti se dedisse asseve- ravit. Quæ an ad te pervenerint litteræ nescio, pervenisse autem vehementer cupio.

Quæ hic agamus accipe. Cæsar ubi vidit omnem prope Germanicum peditatum et equitatum præcessisse, legio- nemque Hispanicam Passavium (2) secundo flumine appli- cuisse, atque hinc ex Italia, inde ex Gallia Belgica omnes copias incredibili celeritate adventare omniaque tormenta bellica parata esse, ulterius hic permorari noluit, sed omis- so balneo ac pristinae valetudini restitutus heri ad exerci- tum profectus est. Quem nos missis aliquot tum in Hi- spaniam tum in Italiam tabellariis cras sequemur. Turcæ, veluti ex Vienna ad nos scriptum est, nondum oppidulum illud, quod vix per biduum tantam obsidionem sustinere

(1) *De quo cf.* Correspondenz des Kaisers Karl V, ed. Lanz, vol. I, p. 564.

(2) *Apographum*: Patavium.

posse credebamus, expugnare potuerunt. Eorum classis, quæ adverso Danubio Strigonium prætergressa erat, Po- sonium, quam Petrus Sapata Hispanus tuendam suscepit, aggredi ausa non est. Ita ut nec terra nec aqua tanti ap- paratus dignum aliquid hactenus egerint. Milites ad præ- sidium Viennæ dispositi constanter affirmant se venienti- bus Turcis urbis portas oclusuros. Quid hic hostes fac- turi sint nescio, licet communis opinio apud nos sit Tur- cam, ubi copias nostras congregatas intelliget, vastatis agris abiturum. Ego autem vix mihi persuadere possum tantum principem tantum itineris confecisse, tantum la- boris hausisse et pecuniarum effudisse, ut rebus intentatis nedum infectis pigeret. Sed dicunt aliqui, non putabat Germaniam unitis viribus in eum ruituram nec Regem Gallum, a quo ut fertur sollicitatus fuerat, domi quietu- rum. Atqui turpe est imperatori, dicere: non putaram. Præterea ubi video hos duos potentissimos orbis monar- chas, perpetua hactenus felicitate usos, ad conserendas manus properare, duos instructissimos ac florentissimos exercitus, quorum similes nondum usquam locorum con- gregatos esse existimo, parvo adeo locorum intervallo dis- junctos et avidè alter in alterius exitium ruere, non pos- sum mihi persuadere quin magnam aliquam rerum meta- morphosim visuri simus. Spero tamen quod hiems nos ab hoc dubio quam primum liberabit. Copiæ nostræ erunt longe quam credebamus majores, adeo magna hominum turba huc confluit; pecuniam nobis Hispania suppeditabit quæ vix credas quanta animi promptitudine in hac expe- ditione vires et facultates impendat, ut, nisi Hispanus es- sem, servatam Germaniam Hispanis deberi auderem as- severare. Nemo erat qui Strigoniam propugnandam sus- ciperet, Lescanus Cantaber inventus est eam qui provin- ciam lubens assumpsit; Posonium deserare decreverant hi quibus ejus custodia commissa erat, ubi classem Turci- cam Strigonium prætergressam audierunt, Petrus Sapata Carpetanus, qui conscribendi Ungarici equitatus gratia eo venerat, ultro id muneris subivit. Et tamen Turcæ nec

Lesconium nec Sapatam tentare ausi sunt. Viden quo me perduxerit stultitia ut factus sim meæ gentis encomiastes, tu autem ea libertati, qua tecum semper usus sum, tribues.

Misi ad te superioribus diebus chirothecas quibuscum alicujus puellæ gratiam captares, nunc indusii ornamentum manu cujusdam formosissimæ nymphæ in Hispania elaboratum ad te mitto ut, si forte illis parum profeceris, hoc eam aggrediaris. Vale.

Ratisponæ III Septembris.

Si Rex Joannes ubi videbit copias Cæsaris congregatas in hostem prodire, vellet suas vires nostris adjungere ac hostes a tergo adoriri vel eorum saltem pontes infringere ut illi ad conserendas manus cogentur, maximum nomen apud Christianos sibi comparare posset ac longe melius rem suam ageret. Quodsi quemadmodum Itali, ita et ipse Cæsaris clementiam et liberalitatem expertus esset, sat scio eum hanc occasionem non prætermisurum. Tu vide an ea in re aliquid præstare possis.

Granvella jussit ut de gradario (1) iterum ad te scriberem, quod ego invitatus facio, sed quia me facturum recepi, fidem meam liberare volui. Pimpinellus quoque rogavit ut negotium de quo ad te scribit tibi commendarem; commendando. Et iterum vale. Tuus quicquid est Valdesius.

Receptum XX Septembre 1532.

In dorso: R.<sup>mo</sup> Dño Dño Joanni Dantisco Episcopo Cullensi Ser.<sup>mi</sup> Regis Poloniae Con.<sup>rio</sup> &c.

S. p. Cum his qui ex parte illustrissimi domini comitis de T..... (2) equos ad Cæsarem attulerunt diffusius ad te scripsi, eosque donatos dimisi: primus eorum habuit ducenta scuta auri, alter centum, et uterque nescio quot ul-

(1) Scil. equo. Vide epistolam Valdesii indidem datam 8 Augusti, editam a Waltzio in Zeitschrift für Kirchengeschichte IV, p. 629 sq.

(2) Nomen parum clare scriptum. Sine dubio sermo fit de comite in Tarnow, Vid. supra p. 408.

nas panni sericii, famuli sexaginta scuta; hæc dixi non ut nostram tibi liberalitatem aperiā, sed ut scias me quod imperasti præstitisse.

Cæsar discessit ex Ratispona die primo hujus mensis et heri huc venit, eo animo ut extemplo in campum prodiret, omnes enim copiæ ante decem dies erunt congregatæ. Hic autem rumor ad nos perlatus est Turcas, omisso castro quod expugnare non potuerunt, incensisque nonnullis villis retrocedere; id tamen certumne sit aut incertum ignoramus. Et cum maxime rei veritatem habere expediat voluit Cæsar ea in re tua opera uti, quemadmodum ex ipsius litteris intelliges. Ego vero ne tuis in suspicionem venires aut quid mali tibi evenire propterea posset, curavi ut ne tabellarius quidem ipse litteras se Cæsaris habere intelligeret, sed meas tantum. Quodsi tibi visum fuerit serenissimo Regi rem aperire, existimo suam Serenitatem tanquam Christianum Principem adeo non ægre laturum ut pro reipublicæ salute ea ad nos scribas, ut potius mihi persuadeam, id ipsi gratissimum futurum. Si autem consultius existimabis ea ad nos aliter perscribere, omnia tuo arbitrio præstare poteris, cum nec nostrorum quisquam hoc sciat nec tabellarius ipse quidnam afferat intelligat. Modo ita Cæsaris erga te benevolentiam respondeas ut non injuria de te magna sibi promississe agnoscat, quod ut facias te etiam atque etiam rogo. Quodsi ad ipsum Cæsarem ea scribere nolueris, ad me ea dirigere poteris ut minori suspitione perferatur, et a nostris legatur. Si cum Christianis Principibus nobis contentio esset, nullo pacto hoc abs te peterem, sed cum hæc pro reipublicæ salute et adversus religionis hostes postulemus, sat scio ea te quam libentissime facturum.

De classe Turcica scribunt ad nos ex regno Neapolitano, ad Epirum usque pervenisse, et cum ibi intelligeret classem nostram in Sicilia esse atque inde statim solvere velle, extemplo retrocessisse, ut sperent jam Constantinopolim usque pervenisse. Quodsi idem faciunt Turcæ, poterimus nos iter nostrum in Italiam et inde in Hispaniam

prosequi. In qua utinam te videre valeamus. D. Granvel-  
la te præsertim valere jubet. Orator ille Levinianus maxi-  
mum sui specimen dedit in ea responsione quam Cæsari  
exhibuit, cum ex Ratispona proficiscerentur, ad ea quæ a  
Rege suo Cæsar adversus Turcas postulaverat. Quam re-  
sponsionem, una cum his quæ nos ad ea retulimus, per  
primum tabellarium ad te mittam ut gentis imprudentiam,  
vel impudentiam potius, perspicias. Vale.

Passavii (1) die XI Septembris. Tuus quicquid est

Valdesius.

*In dorso:* R<sup>mo</sup> in Christo.. (2) Domino, D. Joanni Dan-  
tisco, Episcopo Culmensi, Ser.<sup>mi</sup> Regis Poloniæ Con.<sup>rio</sup>,  
Domino suo obser.<sup>mo</sup> &c. Cracoviæ.

*Receptum* XXIII Septembr. 1532.

(1) *Apographum:* Patavij. *Extat in documentis illis a Lançio editis, vol. II, p. 9 sq. epistola Cæsaris data Passau le X<sup>e</sup> de Septembre 1532. Itaque in Valdesii epistola legendum Pasavii. Cf. supra p. 408.*

(2) *Scriptum videtur Pū. Fortasse Jū i. e. Jesu.*

## DOS CANCIONES INEDITAS

DE CERVANTES

## I

Tratándose de un genio como Cervantes, cuya vida y cuyos escritos han sido objeto de tantas y tan minuciosas investigaciones, no ya solamente en España, sino en todo el mundo culto, el hallazgo de cualquier obra suya inédita debe excitar el temor de que sea apócrifa ó ya publicada en alguno de los muchísimos libros que se ocupan del inmortal creador de *Don Quijote*. Por tal razón, hemos considerado necesario examinar escrupulosamente los motivos en que nos fundamos para atribuirle estas dos canciones á la Armada invencible y afirmar que no-se han dado á luz hasta ahora.

El manuscrito que las contiene (1) es un *Cancionero* de los muchos que se hacían en los siglos XVI y XVII, copiando poesías de varios autores y á los asuntos más diversos:

(1) Consta de 144 hojas en 4.º, á una columna en su mayor parte y foliadas; la foliación salta del 49 al 53, y del 97 al 99. Las dos canciones que publicamos ocupan los folios 20 á 22. Perteneció á D. Luis Usoz del Río. Tiene la signatura *Mss-2.856*.

En la última hoja hay una lista de los pseudónimos con que encubrían su nombre algunos literatos; son los siguientes: Liñán, *Riselo*; Lope de Vega, *Belardo*; Flores, *Lisaro*; Jiménez, *Lisardo*; Cervantes, *Lauso*; Guerrero, *Rubelio*; Figueroa, *Tirsi*. El de Cervantes parece estar equivocado, pues comunmente se le atribuye el de *Elicio*, pastor de *La Galatea*; *Lauso* era Barahona de Soto.